DE PERFORATIONE CAPITIS FOETUS IN PARTU DIFFICILI...

Pietro Andrea Bertoja

DE
PERFORATIONE CAPITIS FOETUS
IN PARTU DIFFICILI
ANIMADVERSIONES

QUAS, UT SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS HONESTARETUR
IN C. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO
PERVETUSTO ET CELEBERRIMO
OBTULIT

PETRUS ANDREAS BERTOJA
VENETUS E VENETIS

PATAVII
TYPIS PENADA
MDCCCXXX

RODULPHO LAMPRECHTIO

IN . RE . MEDICA . ATQUE . CHIRURGICA . DOCTORI EXIMIO

OBSTETRICIAM . THEORETICAM . PRACTICAMQUE

IN . ARCHIGYMNASIO . PATAVINO

SUMMA . CUM . LAUDE . PROFITENTI

CLINICAE . OBSTETRICIAE . MODERATORI

HANC . SUAM . OPELLAM

UT . ALIQUID . GRATIAE ILLI . PARET

PETRUS · ANDREAS · BERTOJA

D · D · D · L · M

PROEMIUM

Quamquam illis omnibus qui res ultra corticem investigare fastidiunt, videri possit, titulum *salutaris*, quo medica ars cunctorum voto insignitur, necesse includere debere salutem cujuscumque ipsi committitur, neque hoc eveniat, cum hominis fatum minime Medicus propria volvat manu ita ut mortem mox acceleret mox impediat, quia

Omne capax movet urna nomen;

attamen sanctissimus constanter et salutaris sibi propositus finis fuit, qualiscumque dulcis plus minusve, aut crudelis sit via qua eidem perveniat. Et justo quidem nimis illa Medicinae pars extenditur, quae morbos respicit, quos infrenare minime regimen aut quodvis pharmacum valet, et quorum sequelae ut tollantur futiliter et inaniter manus, ferrum, ignis, adhibentur, moventur. Si autem durum admodum est unicuique languentem humanitatem opitulare tendit, artu aliquo, aut organo aliquem orbare a quibus vitam acriter minitatur, ad quam defendendam sudat, et alget ille ipse cui provecta aetas finem jam praedicat; certe animus horret quum de vita aut morte judicare cogatur alicujus pro altero, ita ut se sat misericordem retinuerit, quum cadaver illius laniet qui nusquam ipsam cognoverit, quam illi auferre qui hujusce miserias cum bonis est meritus.

Etsi, quum animum subeat idea tantum capitis dilaniandi foetus, dum in matris propriae adhuc perstat sinu, horrescat quisque; etsi arduum et perdifficile opus sit, ferens corpus oculis haud ducibus, introferre, per sensibilimas

angustasque partes; etsi certam compertumque sit, et noscatur, raro naturam adeo inertem stare, aut ad noxias moveri tantum, ut processus hic admittatur, nihilominus adsunt quandoque talia momenta, in quibus Ars necessario naturae novercae damna amovere, at instaurare debet, et medendi modus, specie barbarus, apud practicum promptum exercitatumque, non solum exclusive in usum est trahendum, verum etiam servare est potis, et reapse matrem illam servat, quae dum vitam filio daret, per ipsum aliter moriebatur.

Ast dubium mortis foetus in utero, quae sola, uti opinor, sistit indicatio, ut Obstetricus suum officium possit perficere, objectum plerumque est retribile, quodque cognitionem certam tutamque difficulter admittit sui. Si enim incertum adhuc et hisce nostris diebus nos latitat, quomodo foetus vita dignoscatur in patulum, si illam haud certe testantur, status mulieris, gestatione perdurante laudabilis, progressivum ventris augmentum, motus foetus, Stetoscopium Laennec, aut instituta auscultatio, posterioris bregamatis pulsatio ab exploratorum ignorantia excogitata; si haec omnia non sufficiunt nisi conjunctim considerata, ut de vita foetus judicetur, densioribus tenebris involvimur, quum de ejus morte concludere debeatur, et eo magis, nam ab hac sententia luctuosa damna consequi possunt, quae si vivus per errorem credatur certe non habentur.

Ut plurimum foetus mors in utero eventa putatur a cognitione causae alicujus, quae illam valeat producere, a motuum foetus defectu, a marmoreo frigore, quod a muliere percipitur, ab umbilici mutationibus, ab incomodis lapsubus corporis cujusdam Obstetricantis digiti ope productis (ballottamento), a mammarum flaciditate, a tristi denique et aegro mulieris statu. In partu autem cognoscitur a dolorum irregularitate, ab atro aquarum colore earumque foetore, a partium mollitie, a facilitate qua epidermis detrahitur, a tumoris verticalis defectu etc. etc. Sed ecquis et primo intuitu non videt horum symptomatum gestatione perdurante, ambiguitatem? Primus forsitan memoraretur casus foetus, qui quum in multos menses existentiae suae signa negasset, vivus tandem lucem salutaret? Mutationibus umbilici hoc in casu forsitan coeca fides est praestanda? Quot mulieres vivos edunt filios, quum aliunde maxime flacidas sibi habeant mammas, et sensibilita-

tem ostendant solito auctam, quin de hoc casu liceat concludere; quae sensibilitas, animi maerorem, universam tristitiam nonne apud mulieres prima praecipue vice gestantes, parere potest? Clarissimus Baudelocque duo exempla refert mulierum, quae postquam omnibus praedictis symptomatibus vexatae fuerint, nihilo tamen secius altera filium, debilem reapse et languentam, vivum vero in lucem protulit, alia vividum, robustum, et ponderis novem librarum emisit.

Quum partus hora apparuerit de foetus morte quidam judicare posse sibi suasit ex abnormi dolorum (doglie) ingruentia; sed quot foetus vivi dilanierentur si ab hoc signo arbitraretur aliquis ferrum in infantis caput immittera, ut veluti mortuum educeretur? Aquarum color maxime dubiam mortis foetus indicium offert, ac ad hoc sufficiat animadvertare meconii exitum eas quandoque imitari valere. Capitis integumenta possunt convelli, imo et capilli, dummodo caput infixum aliquo tempore remaneat, quapropter gangraena partialis capillitii sit efformata, quin foetus vita orbetur. Tumor verticalis, si adsit, symptoma unum ex certis est vitae foetus, quum ab ipsius vi vitali proveniat; verum concludetur forsan foetum mortuum esse, hoc uno quia verticali eget tumore? Mors causa una non extat, cur tumor non efformetur, aut auferatur cum existat, dum potius hoc a fortium dolorum defectu possit haberi. Flaciditas elasticitati subsequens, qua prius fruebat, moveri potest a simplici congestione fluidorum textus capillitii, et sanguinis effusio ope alicujus vasis disrupti in partus actione, hanc tollere elasticitatem est potis.

Ex hisce omnibus, quae hucusque attuli, compertum indubitatumque mihi credo possit elucere sane arduum Obstetricantis munus esse diagnosim tutam mortis foetus instituere. Quum enim directe agatur de vita hominis, videtur quam prudenter agere debeat, mortem ejus jam enatam dijudicando. Symptomatum vero quae exposui conjunctio major, jus illi concedit suum opus absolvendi.

Haec cuncta praemittenda censui, priusquam meum argumentum aggrediar, quum, ut opinor, ista unica indicatio operationis offeratur, et ut quanti sit momenti quod sum dicturus, magis in apertum unicuique pateat.

Cephalotomia, graeca voce, ab Obstetricis isthaec appellata fuit operatio, quam majori distinctione mihi videtur recentiores, capitis perforationem dicere maluerunt; et revera consistit in artificiali cranii foetus apertione, ut capitis volumen imminuatur, id quod in ipso continetur evacuando, quum ab illo naturalis exitus minime concedatur.

Istiusmodi operatio usque ab Hippocrate cognita fuit, ut videre est ex aliquibus praeceptis de modo et indicationibus ejus, quae scripta nobis reliquit (1). Celsus, Albucasis, Paulus Aegineta, Avicenna, Dalla Croce, Scultetus in eorum scriptis de hoc sermonem habent argumento, et methodos fere aequales in ea exequenda in usum traxerunt. Tantum anno 1701 (2) Deventer simplicitatem potius quam accurationem inquirendo, peculiari cultro cranium perforare proposuit. Levret (3) in posterum impossibilitate cerebrum tali instramento vacuandi recognita, peculiare aliud protulit (Perce-crane a deux lames) quo ab internis partibus extrorsum versus secabat. Post illum Roederer (4) anno 1750 cultrum excogitavit anulo praeditum, quo cranium foetus perfodere sibi in animo erat, qui postea ab Aitkin et Simpsom anno 1789 fuit moderatus. Annum 1752 decurrebat quum Smellie huic operationi progressum impulit magnum, propriam forficem producens, quae, volvente anno 1785 a Steidele moderata, adhuc majori ex parte adhibetur. Hujusce instrumenti moderationes compellari possunt inter alias illae a Fried factae, a Spieringio, et tandem anno 1821 a Siebold in medium latae.

Burton, Bacquie, Mesnard, Guillemau, Pean, Morigeau, perfossores quosdam invenerunt; qui et eductorum actionem, juxta eorum auctorum mentem in se jungere debebant.

Praeclarissimus Italus Assalini ex aliorum Obstetricantium caterva se se excelluit, ingeniosissimum cranii perfossorem inveniendo, terebram puta. Hac duce multimodae variationes exortae sunt a Rieck, Kilian, Meade, aliorumque. Gardien,

(1) De Morbis Mulierum. Lib. 1.
(2) Operat. Chirurg. Cap. 35
(3) Observat. sur les causes et les accidens de plusieurs accouchemens laborieux. Paris.
(4) De non damnando usu perforatorii in paragomphosi ob capitis molem

Baudelocque, et Capuron, propria instrumenta non ediderunt ad hoc, et libentius, aliqua moderatione, illo Deventer utuntur.

Longum nimis et supervacaneum etiam esset, si singillatim haec instrumenta describerem, analogam uniuscujusque censuram instituendo. Hoc unum dicam, quod quum ea omnia ad trutinam revocarem, mihi visum fuit seriem hanc omnem processuum dividi posse in tres magnas classes juxta quem auctores varium sibi finem figerunt, unius aut alterius ex momentis quae ea faciunt indicata.

A. Prima Classis ea complectitur instrumenta, quae primitus excogitata fuere; haec sunt *cultri perforatores*, quorum finis cohibebatur ad simplex pariendum vulnus, ex quo collectus humor hauriretur. Sub hac classe comprehendi possunt instrumenta illa quae etiam extrahendo agunt.

B. Secunda Classis forfices perforantes exhibet, quibus vulnus amplum efformatur in cranio, et ossa disrumpuntur, ut exinde cerebralis substantia vacuetur.

C. Tertiae classi perforantes terebrae pertinent, quae scopos hosce omnes conspiciunt, terebrae modo qua in adultis solemus.

Hac triplici divisione colligi posse reor, perforsores omnes quos huc usque immaginandi vis suppeditavit. Et quoniam tot summorum hominum hanc artem profitentium post assiduos labores, instrumenta illa inter multiplicia seligere possumus, quae magis apta videantur, curabo illa unius alteriusve classis anteferre secundum fines quibus respondere debent, quin absolute aliquod aliis omnibus praeponatur.

Generatim loquendo, Obstetrici est hanc operationem instituere, tum cum caput foetus mortui contra pelvim infixum dimensiones illis pelvis multo majores proferat, quas propter illam trajicere nequit absque evidenti mulieris periculo, neque viribus naturae, neque aliorum instrumentorum auxilio; hoc tamen prius bene recognito, quod nihil duorum pollicum minus, conjugatus diametros metiatur.

Caussae ob quas transitus hic impossibilis redditur, a matre aut a foetu gigni possunt. Si de illa sermo sit, occurrit aliquando, pelvis diametros cum illis capitis foetus rationem non servare, quamquam bene sit conformata, et relativa hinc pelvis aretatio habeatur. Quum de foetu loquamur,

caput ejus adaucta mole affici potest, vel ob seri intra cerebrum et cranii ossa collectionem, quod interius hydrocephalon constituit; aut aquae adesse possunt tegumenta inter et cranium, quo in casu de externo hydrocephalo pertractatur. Monstruosa et quam maxime aucta massa cerebralis esse potest. Unum, alterumve denique horum vitiorum offertur, et capitis ossificatio implicatur.

En genera tria praecipua momentorum quae Obstetrico occurrunt, et en quomodo juxta haec, modi seligendi discriminentur.

Primo in casu in quo hydrocephalus interius aut exterius extat, aqua tantum partus obstaculum adest quamobrem hac caussa sublata, ipse plerumque solis naturae viribus perficitur.

Prima perfossorum classis hoc in casu sufficiens evadit. Methodi tamen Roederer, Aitken, et Simpson expuendae veniunt, cum eorum instrumento anulus adjungatur supra medium digitum infigendus, quique in parte sua anteriori laminas duas caedentes profert, atque quum admodum tutum in sua actione instrumentum sit ob paucam vim, quam operans exerere potest; valde insuper periculosum, quum facillime matris partes in introductione laedantur, et facillime sub operationis actione laminae frangantur; uno verbo, vere instrumentum contemnendum est, potius quam ut artis progressus consideretur. Rejicienda quoque illa sunt instrumenta, quamvis huic classi pertinentia, quorum finis duplex perfodiendi et extrahendi caput excogitabatur, ab eorum auctoribus, potius quam re ipsa illis inesset. Horum sunt illa inventa et descripta a Burton, (5) a Baquie, (6) a Guillemau, (7) a Mauriceau (8) Pean, aliisque; nam omnibus impossibilitas exprobanda est, uno, eodemque tempore perforandi, et extrahendi. Adde, quod aliqua inter ipsa sicuti cultri Guillemau, Pean etc. maximi sint matri periculi; alia uti illa Burton, Bacquie valdopere sunt implicata, usus difficilis, neque in ipsis est periculum desiderandum. Cunctis aptius instrumentum il-

(5) Systeme nouveau et complet de l'art des accouchemens, etc. Paris 1771.
(6) Memoir de l'Accadem. royal de Chirurg.
(7) De l'heureux accouchmens des femmes. Paris 1609.
(8) Traité des maladies des femmes pogrosses. Paris 1721.

lud Deventer videtur. Simillimum est illo quo abdomen et scrotum in hydrope et hydrocele punguntur. Huiusce usu, utilitas habetur, quod ne hilum quidem mulieris animus conterritur, quod facillime est contrectationis, si diligentia habeatur super apicem perfossoris, ut Baudelocque docet, ceteum lobulum imponere, aut perfossorem eumdem contectum servare, usque dum cannulae extremitas ad locum perforandum perveniat.

Antequam vero ad operationem deveniatur Obstetrici officium erit, se certum efficere omnes alias ut educatur vias minus laedentes, neutiquam sufficere; nosset peculiarem caussam qua infixum servatur, idest hydrocephalon recognoscet, a tumore molli, cedenti, et fluctuanti: a bregmatum extensione, et suturae cujusvis si interne situm sit. Et hic loci mihi concedatur aliquantulum ab argumento declinare, quum recordem questionem oriri posse utrum sit cerebri eductio exequenda hydrocephalo praesente, neque foetus naturalem exitum concedente, dum certa ejus vitae supersint adhuc signa. Si exterius hydrocephalon obstet, hoc difficiliter exitui foetus adversabitur, et etiamsi adversaretur, punctio majori, qua fieri poterit cautela perquiretur, quin multo sit timendum, quam si de interno hydrocephalo ageretur. Si perpendamus in tanta rerum angustia exitum foetus integri possibilem non esse, nisi operationis Caesarae sussidio aut symphisiotomiae: Si recordabimus primam, quamquam aliquibus in casibus et matri felicem evasisse; nihilominus generatim summi periculi illi esse credi posse: et secundam judicari potest, etiam juxta clarissimi Baudelocque indubias experientias, ambiguam admodum esse, neque sufficientem: quod, aliquando mater omnibus conatibus, tali se subjicere operationi abhorret, refugit, justo timore inutiliter pleramque vitam linquendi: quod denique, experientia, et tabulis necrologicis constat, neminem ex infantibus hoc terribili morbo eo gradu affectis, ut nequidem per pelvim naturalia transitus concedatur, vitae, ei quum exeat, compotem fuisse; nos certe ad capitis perforationem faciendam pergere debebimus. Alia ex parte; quum auctorum major numerus, hoc in casu suadeant capitis terebrationem, tamen fateor quod me adeo tranquillum non sentirem, enecans ferrum in foetus caput adhuc vivi dum infigerem, ut mater servaretur, honesti Chirurgi saltem pro tempore vestes expoliando, illas ut Carnificis induerem.

Mulieris positio illa ipsa erit. ac si forceps adhiberetur, idest super lectulum oblique ejus caput inter manus adsistentis continendo, dum alii duo coxas disjunctas tenebunt. Obstetricus sinistra manu in vaginam introducta, et suturis, quam possibile est, repertis, dextra cultrum Deventer apprehendit, cuspide ad libellam cannulae cohibito, et cum, duce sinistra manu, ad locum punctioni constitutum pervenerit, stilum impellit una cum cannula, usque dum illa obstaculum desit, quo tempore stilum extrahit. Humore collecto effluxo, plerumque natura partum marte suo operatur.

Verum methodus haec ad rem minime faceret, tum cum caput abnormi mole adauctum a cerebrali massa praeter naturam majori efficeretur; namque foramen hisce cultris apertum cerebrali substantiae exitum nusquam daret, conditio sine qua, ossa adeo non deprimerentur, ut pelvis diametrorum series trajiceretur. Hoc reapse momentum praestat in quo cephalotomi secundae classis requiruntur, seu *forfices perforantes*. Inter hasce, illae quae introrsum discindunt, uti illae Scheel et Smellie antequam a Steidele moderarentur, sunt omnino relinquendae, quippe quia multa vi quae in administratione movenda est, parva admodum aperitio obtinetur; nisi tamen summo parentis discrimine lamina una cranium intus admoveatur, forinsecus alia, quod et impossibile redditur capite infixo, ut Klein et Bing detexerunt. Verum est instrumenta illa quae exterius secant propria mala secum ferre: et reapse illis, matris partes in disjunctione laminarum in periculum impelluntur. Hoc caeteroquin accideret si adhiberentur, cranii foetus ossibus multum resistentibus, (quod generatim non obvenit) ex quo renixu uno temporis momento de repante fugienti Obstetrici vim impressam refraenare voluntatis non esset. Utilitas aliunde amplum vulnus perficiendi ex ipsis retrahitur.

Smellie instrumentum a Steidele moderatum omnibus votis fini respondet. Similitudinem forfici offert, uodecim pollicum magnitudinem praesefert, ejusque laminae cuspidatae sunt, externae ore secant, qua de re, laminis junctis, lanceae figuram simulat. Major latitudo earum pollicis unius est, longitudo ab apice ad conjunctionem quarto pollice metitur: sub hac manubria incipiunt, quae sunt longiora, et duobus anulis finiuntur. Hac descriptione facile depromitur inutile fore

mulierem terrere, tali instrumento, quum de simplici hydrocephalo pertractetur, dum e contra illud petunt casus illi, etiam in quibus caput non absolute, sed relate ob pelvim arctam, majoris quam per est voluminis sit, et cranii vacuatio indicetur; quum voluminis imminutio a cerebro discerpto, et educto fiat, et ab ossium artificiali depressione, hoc est suggestum quoque a mala capitis foetus constitutione, si tamen suturarum non extet ossificatio.

Antequam autem Obstetricus suam operationem ineat, se mortis foetus tutum certumque reddat est necesse, una et malam capitis conformationem recte dignoscat. Veritatis gratia testandum est, signa certa et indubia minime haberi, quae hoc comprobent; attamen volumen ventris mulieris quod parum sub partu decrescit: externa exploratio qua Obstetrico petet partem duram voluminis magni ad matris pubem stare: tumor partium matris pudendarum: uteri ostium arctum, parum apertum, crassum: aquarum vesica tensa, quaequae ante tempus erumpitur, quin aquae magna effluant quantitate: dolores inefficaces quamquam vehementes, ut caput ad exitum impellant. quum persentiatur superiorem pelvis provinciam omnem a capitis volumine occupari; haec omnia simul conjuncta, satis tutum criterium tradent capitis abnormis, dum singillatim symptoma ullum non datur, quod anceps non sit ad diagnosim statuendam, si perceptio excipiatur quam Obstetricana ope tactus acquirit, longa praxi exercitati, ab impressione uoionis pertium quibus naturalis conformatio fuit denegata. Symptomatibus cunctis quae enumerata sunt, addenda porro venit exacta et indubia cognitio mortis foetus jam pridem enatae.

Hisce omnibus praemissis, et ipsis una, quae insuper facienda sunt peractis, duce manu sinistra, Operans dextera ferrum in se clausum immitit, et cuspidem contra locum perforandum figit, manubria inferius inclinat, atque instrumentum usque ad laminarum conjunctionem intrudit. Posthae ambabus manibus manubria apprehendit atque vicissim laminas disjungit unitque, et perfossore dein in se clauso educto, digitos dexterae manus introrsus pellit per vulnus institutum, ut cerebrum dilaniatum inde hauriatur, atque ut ossa cerebrum ipsum versus comprimantur; demum aut naturae finem operis committit, aut forcipis, aut uncorum poscit opem res et operatio perficitur.

Ast casus fingatur, in quo foetus exitus capitis adacti nimium gratia, impossibilis sit, et suturarum et bregmatum ossificatio simul exhibeatur; tum Obstetrico inutiles *cultri perfossores*, utpote qui difficiliter vi quam ossa opponunt resisterent, et quia maximum in discrimen mater versaretur caussa eadem cranii duritiei; neque congruae momento arbitrantur *forfices perforantes*, quippe quae eorum cuspide a laminarum unione efformato magna difficultate et pericula vim a crassitie ossium opposita superarent, et facillimo negotio fallente in politura capitis foetus vestigio delaberentur.

Peroptime hoc in statu Obstetricans auxiliatur ab ingenioso instrumentorum apparatu, quem Illustris Eques Assalini opportune suppeditavit. Celeberrimus hic Italus qui tantopere instrumentorum moderationem adjuvit, tum illorum quae ad militum Chirurgiam spectant, cum illorum quibus ars utitur obstetricia, cui maximo affectu primis usque ab annis se se dicaverat, anno 1810 publici juris fecit (g) praecipuam methodum, hujusce quo occupamur argumenti, propriam quaeque a nationali Galliae instituto fuit adprobata, aeque ac a multis aliis clarissimis Academiis, et postremis hisce temporibus a Societate artium Londinensi, a qua jure meritoque aureo Numismate, aestimationis et honoris, publicum veluti testimonium, fuit condecorata.

En singularum quibus efformatur partium descriptio.

1. Cannula cylindraces, ex calybe, pollicum octo longitudinem habens, cujus diametrus est pollicis unius, subtilissima, et ad apicem elasticitate donata, in sulco aperta ad pollicem unum cum dimidio per longitudinem, ab extremitate subtilis et ad finem hujusce aperitionis anulus politus invenitur. Inferius magis quam sita sit media pars, et aeque distantes, duo alteri anuli adsunt, ad faciliorem contrectationem rudes.

2. Terebrae corona supra arborem infixa, quae arbor pedis longitudine est praedita, pollicem unum lata, apud coronae basim, quae inde versus manubrium imminuitur. Coronae dentes a sinistra dextrorsum vergunt. Manubrium instrumenti ad basim cannulae periphaeriam exsuperat.

(g) Observationes practicae de tutiori modo extrahendi foetum jam mortuum supra vitiatam pelvim detentum. Mediolani 1810.

3. Vectis, aut clavis, ab hasta constituta ex calybe, manubrium ad pedem at pollices aliquot longum offerens; ad hastae apicem corpus oleae simile, per articulum mobile videtur; hic infigitur elasterium inferius cum anulo finiens, per quam digito introducto et versus manubrium trahendo olea recedit, et hastae parallela cohibetur.

Casus qui nunc questionem movet, difficilis diagnosis nimium non est, aquarum dumtaxat vesica disrupta sit, et aquis effluxis. Digitus exploratoris enim immissus, bregmata incassum perquirit et suturas, dum ossea fornix eamdem quaqua versus duritiem commonstrat; tumor verticalis generaliter desideratur: hisce symptomatibus adde, dolores inanes, labia pudenda tumida cum caeteris. Foetus mors tantum et hoc in casu, Obstetrico jus impertitur ut operatio persolvatur.

Instrumentis itaque descriptis in promptu habitis, ipsis ea ratione erit utendum quam clarissimus Auctor nos edocet.

Mulieri convenientem cum dederimus positionem, indicem et medium sinistrae manus digitos prosequendo, cannula ad caput usque foetus defertur. Per ipsam terebra introducitur, eam in girum agendo uti eorum *Trefine* Angli movent, rectam semper eandem directionem servantes. Tali pacto cranium aperitur, et tunc temporis cannula usque ad primum anulum impellitur, terebra amovetur, et per ipsam vectis detruditur, olea hastae parallela retenta. Hac ad cerebrum perventa vectem ad altum digitus ab anulo comprehensus pellit, olea hinc horizonti respondet, et quaqua versus vario modo instrumentum trahendo membranae discinduntur, et substantia cerebralis dilaniatur: dein vectis modo instrumentum adhibendo, ad se caput adducere fas est, usqua dum in vaginam producatur, quo quum parvenerit solito operatio conficitur.

Verumtamem talibus operationem instrumentis quis instituat, si exacte et tuto a laesionibus operatur, tardus in actione forsitan aliquibus videbitur. Nihilo secius, soeliorum qui obstetriciam artem profitentur sententia, et ipsius Auctoris verendis verbis repetendum reor, quod *„ chi opera con fretta in ostetricia, agisce contro le leggi dell' arte, e non ha preso la natura per guida* (10)

(10) Nuovi Stromenti d'Ostetricia. Milano.

Quibusdam etiam arduum opus arbitrati sunt cerebrum extrudere, si praeclarissimus Auctor, quamvis nunquam in sua praxi tali eguerit subsidio, nos non animadverteret, contra cerebrum aquam repentem injicere aliqua vi, ut ejus exitus facilior evadat.

Resistentia quam terebra requirit in parte supra quam agere debet, eam propositam fecit, illo tantum in casu, in quo capitis ossificatio habeatur; atque hinc dicendum inutile judico Obstetricam prius quam ad operationem moveatur, certiorem fieri oportere, hac de morbosa conditione, interna exploratione ut antea dictum fuit.

Necessitate igitur hujusce methodi in usum trahendae statuta, et plane recognita, quotiescumque sufficiens renixus existat, illa uti etiam opinabimur, quum caput sua basi offeratur, trunco jam dudum educto, aut discerpto. Practici enim omnes summam una voce monent difficultatem hosce casus absolvendi, atque inutiles, et ad finem ineptos *cultros perfossores et forfices perforantes* testantur, casum si excipias, quum liberus per foramen occipitis transitus perfossori Steidele sinatur.

Singulis hoc pacto casibus varias methodos quum aptemus, prognosis quoque quoad matrem moderata consequitur, quae quamvis expetatur ut minus reservata ominetur, quod partus pauco ab hinc tempore inceperit, quod violentiora experimenta pepererint alii, quod partes et universa mulieris organisatio bono fruantur statu; attamen plus minusve quoad instrumentum adhibendum felix erit pronunctanda.

Atque hic finis sit rerum illarum omnium, quas utila sum opinatus, hoc de argumento disserere et in medium emittere secundum theorias, quas Vos Professores praeclari, mihi meorum studiorum curriculo volvente, tradidistis, et juxta opiniones varias, quas variis ab auctoribus artis obstetriciae illa quae per me fuit possibilis diligentia et accuratione collexi. Sin male haec visa mihi fuerunt, vestrum scire est, quorum diuturna de rebus medicis praxeos, et ingenuae observationes, istis theoriarum ideis conjunctae, certos vos tutosque in vestris sententiis faciunt, affirmant; et mihi equidem erit cognoscere, si, hac solemni die, honoribus summis cohonestatus, sors arrideat et vias offerat, totum me huic operantis Medicinae parti dicare, quae tantopere sui me cepit amore, et

est blandita, mecumque ipse complaceam istiusmodi excogitationibus respondentia facta reperiens, atque hac, pro tunc, die eas rejicere profitens, si haec contrarium mihi ostendere valebunt, et confirmare.

THESES.

I.

Foetus acephali prius hydrocephali.

II.

Syncondrotomia potius damnosa, quam utilis.

III.

Pharmaca dynamica quae absolute abortum moveant, non dantur.

IV.

Febris lactea, negatur.

V.

In absolvendis Obstetriciae operationibus celeritate minime utendum est.

VI.

Foetus quandoque variolis corripiuntur.